

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
POSITIONES NONNUL-
LAS THEORETICAS,

Ut & PRACTICAS, duabus sectionibus
inclusas, cum succinctâ earundem ex-
plicatione, complectens;

Quam,

Adjuvante divinâ gratiâ,

*Cum consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, in
Regiâ Academiâ Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO

Plurimum Reverendi & Praclarissimi VIRI,

M. PETRI ANDRÆ BERGII,

Ebrææ & Græcæ Ling: Professoris ordinarii,

Mecœnatis, præceptoris ac Promotoris
sui æternùm suspiciendi;

*Pro obtinendis Magisterii Philosophici honoribus ac privi-
legiis, placidæ Eruditorum censura, modestè subicit,*

GEORGIUS P. Schiffer/ Arbogiâ-Wesm.

Alumnus Reg.

*Ad diem 21 Maij Anni fluentis MDC LXVII, horis consuetis
in auditorio superiori & maximo.*

A B O Æ,

Excusâ à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

Admodum Reverendo in Christo Patri,

DN. OLAVO LAURELIO.
S. S.^{ae} Theologiae Doctori Celeberrimo, Incl^{ta}
tae Dioceseos Arosiensis Episcopo amplissimo,
& Regii Gymnasii Ephoro gravissimo, meccœ-
nari ac Patrono magno, calido observantiae zelo
aeternum suspiciendo.

Plurimum Reverendis, Clarissimis & Doctissimis VIRIS,
**VENERANDI CONSISTORII ECCLE-
SIASTICI AROSIENSIS ADSESSORIBUS,**
AC GYMNASII ejusdem LECTORIBUS digniss^{is}
mis, Promotoribus suis indubitatissimis:

Plurimum Reverendo & Praclarissimo VIRO,
DN. M. GEORGIO H. WINTROSIO,
Arbogensium Pastori meritissimo, nec non ad-
jacentium Praeposito vigilantissimo, Patrono ac
promotori suo certissimo, nunquam non deve-
nerando.

U T E T

Ceteris in Praedicta diocesi, Reverendis, Clarissimis & Doctissimis
D.^{nis} PRÆPOSITIS, PASTORIBUS, Scholarum
RECTORIBUS & verbi Divini comministris,
Promotoribus itidem atq; fautoribus suis honorandis.

*Exercitium hocce Academicum inaugurale, in debita gra-
titudinis tesseram, & certam promotionis spem,*

Submissè, Reverentè & perquam offi-
ciosè inseribit ac dedicat

G. P. S.

P R Æ F A T I O.

Inventum non esse humanum Philosophiam, sed immortalis ac aeterni Dei donum excellentissimum, non solum nobis ostendit S. Scriptura, sed & Saniores Ethnici idem testatum faciunt; utpote divinus ille Plato, qui in Timeo asserit: Nullum à Deo munus præstabilius Philosophiâ mortalibus collatum esse. Et vetustissimi Poëta finxerunt Minervam sapientiæ Deam è cerebro jovis prognatam. Non dissentit ab hisce Cicero, cum dicit: Nullus est vir magnus sine afluatu divino. Quare & Deus T. O. M. homini, ut ipsum quodammodo imitari studeret, longèq; supra brutorum sortem emineret, Animam rationem inspiravit, suis præditans facultatibus, Intellectu scilicet & Voluntate, qua quia per lapsum protoplastorum amiserunt perfectionem illam primævam, nunc iterum per hoc donum, Philosophiam, perficiuntur, ut ex intellectu ignorantia, ex voluntate maistia expellantur. Magni proinde illa estimanda, informat enim intellectum cognitione veri, & voluntatem actione boni. Peripheria ejus est ampla, viridarium spatiosum, quia omnia Entia considerat. Qui itaq; Naturam scrutari & occulta indagare vult, quiq; pie vivere, benè ac honestè agere desiderat, in sacrarium ejus se conferat. Itaq; cum mihi ad honores philosophicos modestè contendenti, ab amplissimâ facultate Philosophicâ injunctum sit, ut juxta tenorem constitutionum Academicarum, exantlato triplici examine privato, aliquid loco speciminis publici ederem, huic mandato morem gerens, viridarium illud Philosophia amanissimum ingressus sum, ubi flores quàm plurimi sese affatim mihi obtulerunt; verùm hac vice pro tenuitate ingenii paucos saltèm selegi, quos Eruditorum candida censura, descendi modestia subijcere constitui. Prosperos successus conatibus hisce meis largire o Deus optime, precor. Sit itaq;

si per phi
restaurati
fectis pri
missa, ut
issa regn
imago
v. p. E. p

utro obti
tu, quint.

SECTIONIS PRIORIS, POSITIONES THEORETICAS PROPONENTIS.

POSITIO I. METAPHYSICA.

Omne Ens est Bonum.

Explicatio.

UT in Explicatione hujus positionis facilius progredi queam, videtur operæ pretium, 1. Distinctionem Nominalem vocis *Boni*; cum æquivoca sit, præmittere, ut melius intelligatur, quale hic intenditur. Est autem *Bonum* aliud *Ethicum* seu *Morale*, aliud *Physicum* seu *Naturale*, aliud *Metaphysicum* seu *Transcendentale*. 2. Hic autem remotis aliis acceptionibus *Bonum Transcendentale* intelligitur, quod dicit convenientiam cum voluntate divinâ, competitq; omni Enti quâ Ens est; *Bonitas* enim *Transcendentalis* non realitèr distinguitur ab ipsâ *Entitate*, quæ bona dicitur, aliàs namq; faceret in *Subjècto (Ente)* realem compositionè; At hoc est absurdum, cum sic & *Deus ipse*, qui *bonus*, esset compositus. Et ut *Ens* aliud est *increatedum* aliud *creatum*, aliud *independens* aliud *dependens*, ita & *Bonitas* alia *Summa*, *Independens* & per *Essentiam*, quæ *Increato* & *independenti* convenit; *Quantum*, enim *quid habet de Entitate, tantum habet de bonitate*, ut sonat axioma; Sux ipsius quippè voluntati, quæ *Norma Bonitatis*, displicens esse non potest. Alia *Creata*, *Dependens* & per *participationem*, quæ *creato* & *dependenti* tribuitur, quia est terminus creationis; at hic semper bonus, nam non potest *Deus* moveri ad creandum aliquid nisi bonum, cum ipse sit bonus. Sed negari non potest multa inveniri mala, ut *vitia Moralia* &c. quæ quatenus dantur, videntur quoq; posse dici entia;

Entia; Non incommodè ergò quæritur, quomodo as-
sertio in Theoremate posita sibi constare possit; cum
quicquid malum sit, *non habeat convenientiam cum volun-
tate divinâ, sed potius disconvenientiam & difformitatem?*
Hinc procul dubio fuit, quod *Manes & Manichæi*, quia
etiam malo quàm malum, veram & realem essentiam tri-
buebant, *duo principia* introduxerunt, unum Boni, alte-
rum Mali. Verùm *R.* quod *Bono transcendentali* non op-
ponitur *malum*, cum à *Bono* nil nisi *bonum*. *Bonum non
est causa mali.* Nec datur *ulla Essentia* quæ privata est *cons-
formitate* cum *voluntate divinâ*. *Vitia Moralia Bonitatem
Transcendentalem* non habent: Nam si hoc, haberent il-
lam vel *creatam* vel *increatam*: Non *increatam*, quia hæc
soli *Dei*, non *creatam*, quia *Deus* non est autor iniqui-
tatis. *Manis & Manichæorum* hæresis est pessima, quia *Di-
abolum* etiam *creatorem* facit & *duo coeterna* introducit. Un-
de *Bona-Vent*: 2. d. 1. arti 1. citante *Horneio* in *Ethi-
cis*. *Credere se dicit eum errorem non humanam malitiam esse,
sed diabolicam astutiam adinvenisse, ut se alterum Deum esse
peccatorum mentibus persuaderet.* Et iterum art: 2. quæst.
1. ait: *Non posse se sibi persuadere hanc hæresin repertam ab ho-
mine qui aliquo tantùm modo Philosophiam didicisset.* *Bono ve-
rò Morali & Naturali Malum* opponitur, sed tùm *Malum*
accipitur vel *abstractè & formalitèr*, quomodo nuda est pri-
vatio & non ens, vel *concrete & materialitèr*, quomodo
significat ipsum *Ens* quod malum denominatur. Et in
hâc acceptione duo includit, nempe *Materiale*, quod est
ipsa *entitas*: & *formale*, quod *ἀρὰξία* seu *Privatio & Ne-
gatio* est boni. Hinc patet, ut ait *Scheibl*: *Metaph*:
lib. 1. c. 10. n. 61. *Malum esse ex Entitate & privatione ag-
gregatum quid; Et quicquid in actu vitioso est entitas, id o-
mne bonum esse; Malitiam autem non in Entitate, sed ejus
privatione sive dictâ ἀρὰξία consistere.*

considerandi oibz p[ro]p[ri]is partib[us] communib[us] q[ui]b[us] est
omnib[us] p[ro]p[ri]is
n[on] r[ati]o
f[ra]gile
s[er]u[us]
antif[ra]gile
r[ati]o
d[omi]n[us] considerandi, s[ed] v[er]o objecti d[omi]n[us] d[omi]n[us], est
is[ta], ut in tale e[st] l. Expositio.

POSITIO II. PNEUMATICA.

le Spiritus præcisè consideratus, prout abstrahitur
à Finito & infinito, est Pneumatices objectum,
in quantum Naturæ Lumine cognoscibilis.

da considerandi, s[ed] v[er]o objecti d[omi]n[us] d[omi]n[us], est
is[ta], ut in tale e[st] l. Expositio.

Tria hic observanda videntur. 1. missis alijs signifi-
cationibus vocis *Spiritus*, tam *Theologicis* quam *Philosophi-*
cis, *Spiritus* hic propriè & adæquatè pro *Substantia immate-*
riale accipitur, & contradistinguitur *corpore*, inq[ui] hoc sen-
su nullæ *formæ Physicæ* dicuntur immateriales seu spiritu-
ales præter *animam Rationalem*. II. *Spiritus* prout præscin-
dit à *Finito & Infinito*, & quatenus in *statu objectivo idealè*
consideratur, constituit *objectum* peculiaris disciplinæ sc.
Pneumaticæ. Dari autem *Theoriam* aliquam *Spirituum*
probari potest exinde: *Quia sicut non Entis nulla est scientia,*
nulla affectiones, ita ex opposito, *quicquid Entitatem habet,*
aptum est ut in aliquâ disciplinâ tractetur. Num verò
tractatio eorum distinctam ab alijs efficiat disciplinam,
inter eruditos disputatur. Quidam Magni nominis vi-
ri, considerationem eorum volunt pertinere ad *Meta-*
physicam. Alii ad *Physicam*. Alii ad *Theologiam*. Ve-
rum ad *Metaphysicam* eam referri non posse (*sine præiudicio*
tamen magnorum virorum dictum) evincunt hæ rationes.
(a) *Quia Metaphysica est universalis disciplina*, quæ confide-
rat *Ens* in abstractione summâ, nec descendit ad specia-
lia objecta ac quidditates particularitèr determinatas.
Sed ut *corpus* quod est particulare *Ens*, exigit peculia-
rem disciplinam scil. *Physicam*, & in *Metaphysicâ* non con-
sideratur; ita nec *Spiritus* in illâ considerari debet, egre-
deretur enim sic limites suos. Naturam *Metaphysicæ*
egregiè

egregiè depingit Calovius his verbis: *considerat Ens in abstracto & universali, & excludit Entia in particulari. Inuit communem rationem omnium, excludit considerationem specialem singulorum. Est enim abstracta ab omnibus, non verò concreta ex omnibus. Considerat omnia in universali, non universalitèr omnia. Est sapientia entis, non entium.* (B) *Metaphysica & spirituum doctrina Pneumatica habent diversa principia & affectiones. Principia Metaph. sunt omnium prima, generalissima & notissima, tam respectu sui quam nostri. Quæ hæc sunt: Impossibile est idem simul esse & non esse. Totum est majus sua parte. Pneumatica verò principia sunt specialiora & orta, nec ita nota, tale est: Quæ perfectiones inveniuntur in creaturis, ex etiam suo modo inveniuntur in Deo. Affectiones illius sunt generalissima competentes omni-enti, vel in sensu unito, vel dissuncto. Hæc verò speciales, è sola spirituali naturâ fluentes, ut simplicitas &c.* (γ) *diversos habent abstrahendi modos. Consule Metaph.^{cos} & Pneum.^{cos}. In Physica eorum Tractationem institui non posse patet,* (a) *Ex diversitate objectorum, differunt enim Pneum. & Phys. objectis, tam quoad materiale quam formale. Illius est spiritus, in quantum naturæ lumine cognoscibilis; hujus corpus naturale quæ tale. Spiritus autem & corpus, ut notum, opponuntur, non verò subordinantur.* (b) *Ex diversitate principiorum & affectionum. Confer Pneumaticos & Physicos.* (c) *Ex diversitate abstractionis. Qui animam rationalem saltèr ad Physicam revocant, illis satisfacit distinctio inter considerationem animæ absolutam, quæ in Pneumaticis, & respectivam quæ in Physicis instituitur. Qui ad Theologiam spirituum Theoriam spectare volunt, confundunt lumen Naturæ, cujus fœtus est Pneumatica, cum lumine Revelationis, cui originem debet Theologia. Pneumatica præterea est disciplina Philosophica; Theologia autem*

tem superior facultas. Proinde firmis rationibus super-
structam esse sententiam eorum, qui *Pneumaticam* pecu-
liarem, & à cæteris omnibus distinctam faciunt discipli-
nam, ostenditur, 1. *Ex peculiari & distincto objecto (objectum*
n. est mensura disciplinarum Theoreticarum) quod est spiritus;
cui requisita objecti etiam competunt, sc. quod *spiritus*,
in nulla disciplinâ sit *Principium, Affectio* aut *Species* vel
modus contrahens. (2) *Ex diverso considerandi modo;* *Pneus-*
matica enim in affectiones spiritus, in quantum Naturæ lu-
mine ejus cognitio haberi potest, inquit. 3. Ex specie
substantiæ oppositâ; Si contemplatio corporum naturali-
um distinctam & peculiarem postulat disciplinam, cur
non multò magis *spirituum cognitio*, quippe quæ præstan-
tior & nobilior cognitione corporum naturalium, 4.
Ex ipsâ experientiâ; Inveniuntur enim viri excellentissimi,
qui de *spiritu peculiare disciplinas conscribere*. III. um
quod hic dicebam observandum, est *ipsum formale hujus*
objecti, quod quia ante tactum, hic paucis attingam; sc.
in quantum Natura lumine cognosci potest. Ergo huc non
spectant omnia, quæ quocunq; modo de *spiritu* sciri pos-
sunt, sed tantùm ea, quæ *natura lumine cognosci queunt.*
Quæ verò de *spiritu* tam *Finito* quam *Infito* ex solâ scri-
pturâ S.^a revelata sunt, ad *Theologiam* pertinent.

POSITIO III. PHYSICA.

Homo duabus constat partibus essentialibus, A-
nima rationali & corpore organico.

Resolutio.

Duo hic notanda, 1. Quod *Homo* dicatur *Totum*, non
quidem *Perfectionale*, ut *Deus*, qui propter totalitatem
omnium perfectionum, *Totum* dr. *Nec Potentiale*, quale

anima,

anima, plures continens potentias. Nec *universale*, ut
 genus & species; quæ sunt conceptus essentialitèr com-
 munes pluribus inferioribus. Nec *Numerale*, quod est
 collectio plurium unitatum, ut Numerus multitudinis.
 Nec *integrale*, quod solum est pars essentialis, constans
 partibus integrantibus & quantitativis, ut, corpus huma-
 num. Sed *Essentiale*, compositum ex *materia* & *forma*,
 tanquam principiis constitutivis seu partibus essentiali-
 bus. II. Partes hæ essentialis sunt *Anima Rationalis* & *cor-
 pus humanum*; non enim illa absq; hoc, nec hoc absq; il-
 lâ *Hominem* facit; sed ut ex harum partium conjunctione
 constituitur *homo*, ita ex harum disjunctione tollitur &
 moritur. Defendunt nonnulli tres esse hominis par-
 tes, *corpus*, *Animam* ac *Spiritum*. Alii duas in homine po-
 nunt *animas*, easq; *contrarias*, unam à *Bono*, alteram à *ma-
 lo Deo* inditam, ut *Manichæi* Teste *August*: Alii tres *Ani-
 mam vegetantem*, *sentientem*, & *Rationalem*. Sed hæ sen-
 tentiæ sibi non constant. (1.^a) Quia de tertiâ illâ parte
Spiritu scil: nec *Natura* nec *Scriptura* loquuntur. Tradunt
 quidem *Physici* & *Medici*, ut in aliis corporibus naturali-
 bus, ita in homine dari quosdam *Spiritus*, quos dividunt
 in *insitum*, qui calidum innatum & vinculum animæ ac
 corporis est; Et *Influentem*, qui vel *Naturalis* in hepate ge-
 neratus; vel *vitalis* in corde; vel *Animalis* in cerebro.
 Verùm hi *Spiritus* non tertiam in homine efficiunt par-
 tem, sed sub *corpore* comprehenduntur, quia *corpora* sunt
 quamvis subtilissima; *Spiritus* autem dicuntur æquivocè
 & propter subtilitatem, quia tenuissima sunt & ad agen-
 dum paratissima. Quomodo intelligenda venit vox
Spiritus, cum in dictis scripturæ conjungitur *animæ*, ex-
 plicat Theologi. Gen. 2: 3. ubi de creatione hominis
 agitur, expressè fit mentio duarum tantum partium,

*corpore de limo terræ formati, & Anima divinitus inspira-
tæ, unde factus homo vivus, cui dicto scripturæ tanquam
verissimo, adherere tutum. (2. da) Manicheorum falsa o-
pinio, in concilio Constantinopolitano damnata est.
(3. tia) Sententia ponens tres in homine animas distin-
ctas, rejicitur tanquam absurda; Nam sic homo aut nul-
lius esset speciei, aut ad tres referri deberet. Effet Plan-
ta atq; brutum antequam fieret homo, dupliciq; morte
ante nativitatem moreretur, dicente Sperlingio in An-
thropologia Physicâ Fol: 66. vel si tres realiter distinctæ
anima simul essent in homine, tum post dissolutionem
animæ rationalis, adhuc viveret ac sentiret quæ brutum,
ultimo iterum vitam haberet quæ Planta, quod absur-
dum. Dico itaq; quod una illa anima rationalis quæ spe-
cifica est, & ante & post Nativitatem, omne id præstet
quod inferiores illæ, est enim ea potentiù, tam anima ve-
getativa & sensitiva, quàm propriis instructa.*

POSITIO IV. MATHEMATICA.

Terram in medio mundi sitam, & instar centri
torius hujus universi, ac immobilem esse, cum
Dn. Tychone Brahe assero.

Elaboratio.

Stellas in cœlo immobiles esse, ac locum suum cons-
tantè tenere, & terram circa centrum suum circumgy-
rari, Pythagoreorum olim dogma fuit, quod quia pau-
cos tunc invenit adstipulatores, teste D. D. Bernh: Vare-
nio in Geograph: sua generali. multis seculis oblivione
quasi sepultum habitum; donec ante annos ducentos
circitè Nicolaus Copernicus magnum illi conciliaverit no-

mèn; constituens *solem* centrum mundi & immobilem; *Terram* verò tanquam Planetam collocans inter *Venerem* & *Martem*, quam annuo cursu circa solem circumferri voluit. Cujus sententiæ asseclas ac imitatores habuit Astronomos excellentes, *Keplerum*, *Galileum de Galileo*, aliosq; qui eam multis rationibus confirmarunt ac defenderunt. Sed quia Hypothesis hæc *Scriptura S.* adversatur, idcirco verisimilior mihi videtur sententia *Tychonis*, verbo Dei & quotidianæ experientiae magis quippe consentanea: Apparent enim non solum reliquæ *stellæ* sed & *sol* singulis diebus ab oriente in occidentem circa *terram* moveri, & spatio 24 horarum ad eundem ferè cœli locum redire, quod *terram* in medio sitam, immobilem & pro centro habendam arguit. *Sensuum enim judicio tamdiu standum, donec rationibus firmis id fuerit explosum*, inquit *Sperlingius* in Synopsi sua *Physica*. In *Scriptura Sacra* etiam pro miraculo habetur *solem* stetitisse ac retrogressum fuisse, & *terram* moveri; dicitur n. hæc fundata super bases suas, nec in æternum moveri. *Blebelius* in *Sphærâ suâ* pag. 16. 4. argumentis hanc *Tychonis* sententiam defendit.

SECTIONIS POSTERIORIS, POSITIONES
PRACTICAS PROPONENTIS,

POSITIO I. ETHICA.

Virtus hominibus naturâ non inest.

Enodatio.

Galenus in peculiari libro, ait virtutes nobis per solam naturam & temperamentum corporis competere; verum ut plenius intelligatur positio hæc, notandum tripliciter aliquid inesse â naturâ. 1. *Quod convenit naturali inclinationi.* 2. *Quod potentia est quoad semina quadam inest,*

actus autem & perfectio industria & labore parantur. 3. Quod completivè, actu & formalitèr inest. Prioribus modis, virtus, quæ anima ac splendor beate vite salutatur, à Naturâ inesse dici potest. Ultimò autem modo non; Quia si hoc modo inesset (a) nunquam prolaberemur in vitia. (b) Necessariò tùm inesset omni homini; quæ enim speciei sunt, ea conveniunt omnibus individuis; at virtus omni homini non inest, teste experientiâ. Inest ergò virtus fatente Gutkio in disputat. gen: pract: à Naturâ inchoativè, in quantum naturalitèr in perfectionem nostram propendemus. Et Cic. 3. Thusc. unicuiq; mortalium semina quadam virtutum sunt innata. Consumativè verò & completivè ex asvesactione: Nam natura etsi efficax sit in effectis suis producendis, tamen perficere virtutes est ultra vim & sortem naturæ, quia perfectio studio & exercitatione acquiritur. Requiritur itaq; i. Natura tanquam causa remota & inchoans, si enim naturalis propensio, aptitudo & inclinatio deesset, habitus acquiri non posset. ii. Doctrina, non tanquam virtutem plenè constituens (nam sic omnes doctrinâ imbuti, secundum virtutem agerent, quod falsum) sed veluti dirigens & continuans, quatenus cum prudentiâ conjuncta. iii. Crebra exercitatio & diligens assuetudo, tanquam causa propinqua, primaria atq; perficiens, perfectum gignens habitum, sine quâ nemo ad culmen veræ virtutis ascendere potest.

POSITIO II. POLITICA.

Status Regni Sveo-gothici est Monarchicus.

Evolutio.

Formas ac species Imperii quamvis nonnulli plures, alii pauciores enumerent, consentiunt tamen in eo fermè & ve-

& veteres & recentiores *Politici*, si de *rectis* & *simplicibus* sit sermo, non esse plures quàm tres, quod ex numero *Imperantium* probari potest; aut enim summam potestatem obtinet unus in omnes sibi subiectos, & dicitur *Monarchia*; aut plures, unde *Polyarchia*, ubi vicissim vel pauciores, iudicant; *optimates*, & dicitur *Aristocratia*; vel omnes, aut major populi pars, & dicitur *Democratia*. Duo in hac positione notanda veniunt. 1. Quod *Status Regni Sveogothici sit monarchicus*, talis enim semper & ab initio, ad hæc usque tempora viguit, confirmante non solum Historiam patriam, sed & rerum magistrâ experientiam. Rex enim nobis unus est, Majestatem solus gerens & sine pari regnans, Deum atque Legem tantum superiores agnoscens. 2. Sed sicut in corruptâ hac naturâ, nullum elementum apparet purum, nullumque temperamentum simplex, ita simplex ille ac idealis status societati humanæ prodesse vix potest, nisi accedat temperatura quædam. *Democratia* cenletur quidem jucundissima propter æqualitatem ac libertatem populi; est tamen mutationibus & incommodis magnis ob populi inscitiam & ingenii diversitatem est obnoxia. *Aristocratia* prudentissima habetur ob virtutem & optima ac saluberriima optimatum consilia, sed & ibi dissensiones, turbæ & odia metuenda, propter invidiam, & favoris ac fortunæ æmulationem. *Monarchia* perfectissima est & tutissima, quia convenit maximè cum Deo & Natura. Verùm cum & ibi difficilimum sit invenire hominem perfectissimâ virtute præditum, illaque in Tyrannidem facile degenerare potest; hinc fit, ut vix ullus status merè simplex ratione existentia & administrationis reperitur; quamvis ratione formæ, essentia & constitutionis simplex dici queat. Sic in Regno nostro Sveogothico hoc tempore serenissimi Regis Minorennis nomine, Regina vidua clementissima, & supremi

officiales, Regni senatores atq; proceres illusterrimi regnum administrant.

POSITIO III. OECONOMICA.

Agricultura est modus acquirendi victum, aliaq; necessaria in Familia optimus:

Declaratio.

Modi acquirendi victum & amictum, ab œconomicis varii enumerantur, quorum alii sunt *ordinarii*, alii *extraordinarii*; *Ordinarii* iterum vel *simplices*, qui vel *Naturales*, vel *artificiales*, vel *mixti*, qui quidem omnes boni ac legitimi, quatenus cum *prudencia & virtute* conjuncti; *optimus* tamen inter hos censetur *agricultura* propter has rationes (α) *Propter indigentiam*: nam sine eâ vita mortalium diu felix consistere vix potest, cum omnia quæ in terrâ gignuntur, ad usum hominum creata sint, quæ propterea nisi colatur, frumentum hominibus communiter non suppeditat. Ex cultura verò ejus fructus varii, multa frumentorum genera, & rerum omnium copia ad victum hominum proveniunt. Unde Cic. lib: 1. de officiis *omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* (β) *Quia est antiquissimus*, qui genus humanum ab ipso exordio mundi aluerat; Primus enim agricola fuit adam. (γ) *Quia est maximè naturalis*, imò ut ait Franc: Burgersdicius idea doct: œconomicæ c. 8. §. 9. *Hic modus Naturalissimus est*; Natura enim, urgente necessitate, docuit hunc modum ad victum acquirendum, ut enim *mater* naturaliter suppeditat nutrimentum liberis suis, ita & *parens* omnium terra, omnia nutrit (δ) *Quia justissimus* quoq; est, quoniam vita rustica est simplex, innocens, vitiis non æquè

obno-

obnoxia, non occupata honorum ambitionibus, non fraudibus, dolis & insidiis gaudens, sed quieta, tranquilla; quare fixerunt ingeniosissimi Poëta justitiam quondam ab omnium ordinum gentibus expulsum, apud agricolas longissimum tempus habitasse. (*) Quia præterea utilissimus est, qui præter sustentationem, plurimum etiam ad corporis exercitationem facit, non enim reddit corpora, agricolarum inepta, ut artes viliores aliæ, sed idonea & apta ad labores sustinendos, & ad fortitudinem bellicam præparat, ut possint animosè & intrepidè aggredi hostem; aliq; imminetia mala subire; sunt namq; agricolæ omnibus coeli injuriis ferendis assueti, deliciarum ignari, parvo contenti, & ad omnem laborum tollerantiam indurati; unde Cato, Citante Wendelino: lib. 2. polit. cap. 39. pag: 438. *Ex agricolis & viri fortissimi & milites strenuissimi gignuntur.* Atq; hæc pro ratione instituti proposuisse sufficiant. Devotâ hæc *dogmatologica* disputationem concludo: Gloria patri, Filio & Spiritui Sancto, in secula nunquam terminanda!

Solide Eruditionis & Virtutis laude Politissimo JUVENI,
 DN. GEORGIO SCHIFFER Wesmanno, honorum
 in studio Philosoph. summorum Candidato Meritiss.
 & pro iisdem publicè Disputanti; Amico suo
 honorando:

*Virtutis, laudisq; simul, claraq; sophia
 Eusebia & Charitum perstudiosus eras
 SCHIFFERE, Agricolæ vigilans, nautasq; secutus
 Semina cum fructu colligis: atq; ratem
 Dirigis in portum lætus, jactate periculis
 Vicisti adversæ sortis, amice, malum.*

Hinc

*Hinc tibi multiplicis gratabor nomine honoris
Cujus inoffenso nunc pede templa petis.
Vade bonis avibus, quorsum te fata, DEUSq;
Vel patria proceres, vel tua vota vocant.
Hospes es optatus quocunq; accesseris: artis
Virtutisq; simul te comitantur opes.
Dives & incolumis vives: post fata manebunt
Nomen, honosq;: polus dat tibi plura. VALE!*

Felices in studijs progressus L. Mq. licet occupatissimus
gratulab:

MARTINUS MILTOPÆUS
Eloq. Prof. & F. Ph. Dec.

Salve Præstantissime Dn. CANDIDATE, amicorum optime.

HOnesta nostra familiaritas, quæ longo intervallo amplexibus suis, nos arctius adligavit, tantum effecit, ut tibi in hoc tuo laudabili progressu, verbo gratularer. Studia literarum apparent quidem in pueritia difficilia, præcipuè illis, quos iniqua fortunæ fors voluit paupertatis onere conflictari, in adolescentia tamen minus laboriosa sunt, ast in matura ætate, jucundos illis, qui hoc superare valent, edere solent fructus: Jam onus illud grave paupertatis hactenus incumbens, vicit Præstantiss. Dn. CANDID: subsequentesq; molestias superavit, fructum itaq; laboris dehinc abundantem reportabit. Nemini enim suæ sortis asperitas displicere in tantum potest, quin spem concipiat magnam, fore ut Musarum, quas colit, gratia favoreq; ad magna & laudanda consurgat. Omnia quibus honor & gloria paratur curis & laboribus subiecta sunt. Quamobrem tibi amice amande gratulor tanti honoris fastigium; Propitium Numinis favorem in vota vocabo, velit te ulterius benedictionis suæ affectione amplecti, quo honores impetrati, in laudem & nominis sibi gloriam, Reip. emolumentum, proprium decus, Parentis & consanguineorum solatium, gaudiumq; maximum, vergant. Vale

Tuus T.

L A M B E R T U S P. Montanus.